Spectatiss^mo Dno

Quo praesenti Hagae cum essem officio defungi eo quod domi non esses haud
licuit, absens defungi cogor. Inveniunt apud te veniam praeter spem praeterq
opinionem ex improviso discedendi quae mihi injecta fuit necessitas, simulq
ab innata tibi in obvios quosq benevolentia ex facili id me impetraturum
confido, ut importunitatis impudentiaeve apud te literae meae notam
effugiant, cum non circa me meave, sed circa communem nobis amicum,
cognatum mihi, totae occupentur. Nequid te morer, Jacobus Berkelius
(quod ingenui est) plurimum tibi cum debeat, et plura debere cupit:
totum muneris hoc tui est quod et antequam mortalitatem poneret
[illegible] Thalassici apud Hornanos collegii quaestor, ab illustrissimo Prin
cipe ordinibus, praefato commendatus fuerit collegio, et postmodum
etiamnum geminatim iterata commendatione habitus fuit inter illos,
qui defuncto quaestori successores non immerito designari possint. Nunc
Spectatiss^me Dne quantum ex commendatio ipsi gratiae, quantum ami
corum, quantum denique studiorum ~~tui~~ contulerit; Quin adeo firma atq
omnino indubia spes ipsum tenet, fore ut si obtinere impetrareve
illud queat, uti Illustriss^mus Princeps literis ipsum commendatitijs clemen
ter ornare dignetur, quo nomen ipsius et eorum adcenseatur nominibus
e quibus fato functo quaestori eligendus est successor, omnino se
optatissimum ad exitum negotium hoc perducturum, tot praecipue in
ipsum studijs votisq conspirantibus. Quas hic tuas esse Spectatiss^me Dne
partes cognatus desideret ipse vides, quid possis hac in re non ignoras, quid
velis abunde jam antea nunc compertissimis testatus es beneficijs. Accedat
ad illorum cumulum et hoc postremum, habeatq a te cognatus meus ut
nec ereptum immatura morte tot tantorumq in rempub. meritorum ~~virum~~
virum, optimum sibi patrem lugeat, neq eius in rempub. benefacta, ex ani
mis erasa, ac ne filio quidem proficua doleat, [illegible] ferat ille tibi
acceptum totum illud quod nunc honoris ambit expectatq, soliq effica
cissimae intercessioni tuae deferat omnia quaecumq sollicite conquisito
favore se consequuturum confidit. Nosti ipse beneficia (quod in paroemia
est) beneficijs ne perpluant esse obtegenda, et quanquam nullus
hic a perpluvio ac ne impluvio quidem sit metus, rogo tamen quaeso
ut vota ac preces cognati mei, de apud principem qua vales secun
des gratia, imo et praevenias. Sic et vota tua exoptatissima adusq
praeveniat superetq felicitas, sic optatissimus foelicissimusq coeptis tuis

121
D 11
nr. 26

© Koninklijke Bibliotheek
121 D 11, nr. 26
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/n0575

adsit eventus, sic te Constans meritaque semper fama prolixusque bonorum omnium quaquaversum comitetur ~~favor~~ favor. Vale Amstelodamo pridie Kal. Januarias CIↃ IↃ CXXIX.

Tuus ex asse usu ac mancipio

C. Barlæus

Theodorus C.

© Koninklijke Bibliotheek
121 D 11, nr. 26
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/n0575

© Koninklijke Bibliotheek
121 D 11, nr. 26
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/n0575

Ed. Erntfeste achtbare wyse voorsienige
hooghgeleerde heere
Myn heer Constantin Huygens Ridder
Raedt & Secretaris van syn Pr. Exie. in
's Gravenhage.

© Koninklijke Bibliotheek
121 D 11, nr. 26
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/n0575